

Lomner,
Hans. Adolph
De arboribus
ambrosianis
perfectarum





CAROLI ADOLPHI LIMMERI

I. V. D.

COMMENTATIO IVRIDICA

DE

ARRHIS EMTIONVM
IMPERFECTARVM

OPPOSITA THOMASII DISSERTATIONI
DE ARRHIS EMTIONVM.



Hd 100

GOETTINGAE

APVD VICTORINVM BOSSIEGELIVM CIOIOCCCLXVII.



INSTITUTION
DEPARTMENT OF
LIBRARY



UNIVERSITÄT HALLE





Recte monet Paulus in *L. 1. §. 2. D. de contr. emt.* quod emtio venditio sit contractus iuris gentium. Nummo enim pretioque eminenti iuris gentium facto, aliter fieri non potuit, quam, ut gentes, a simplicitate primaeva recedentes, emtionis contractum praesferrent permutacioni; cum nec semper, nec facile contingeret, ut, cum tu haberes, quod ego desiderarem; ego invicem haberem, quod tu accipere velles *L. 1. pr. ibid.* Haud igitur miraberis, quod, uti apud alias gentes, sic apud nos quoque doctrina hujus contractus magnam legitimae disciplinae partem constituat, et pro diversitate actorum diversimode explicetur. Ipsam vero emtionem partiuntur in perfectam et imperfectam. Illam contrahi dicunt mutuo consensu, certare, et certo pretio, *pr. I. de emt. et vend. L. 8. pr. et L. 72. pr. D. de contr. emt.* hanc in solo pacto de emendo inesse volunt, ubi requisita modo dicta vel deficiunt omnia, vel quaedam, vel ubi saltem actu consensus ob eventum aliquem in suspenso constitutus est. Illi porro obligationem tribuunt, huic, cum nuda pacta iure civili strictius sumto, sint invalida, eandem denegant.

At cum non semper de probatione sibi prospiciant contrahentes; in tanta humanae mentis inconstantia, mobilitate ac levitate conringere saepius potest, ut alterutrum negotii gesti poeniteat, et violata fide vel ab emtione imperfecta, ad quam perficiendam natura saltem obligatus erat, vel a perfecta emtione necessario consummanda, recedat, et alterius partis ius eo ipso violet; eiusmodi perfidiae sive impediendae sive coercendae causa gentes *arrhas* invenerunt, et ut vel argumentum pro contracta emtione inde sumatur, vel ut, si quis conventionem neget, *arrham* perdat, ordinaverunt. Hos circa *arrhas* emtionum mores gentium etiam ius romanum recepit, voluitque, ut emtionibus tanquam argumentum *arrhae* accedant *pr. I. de emt. et vend. L. 35 pr. D. de contr. emt.* et in eventum poenitentiae *c. pr. I. de emt. et vend. in fine L. 8. de Lege commissor. L. 1. C. de pact. inter emt. et vend.*

Iam vero quaestio oritur, cui emtioni secundum leges romanas *arrhae* addi possint: utrum perfectae, an imperfectae, an utriusque? De perfectis quidem emtionibus omnes, quantum scio, qui de hac re scripserunt, *arrhas* iis accedere posse, uno ore consentiunt: num et imperfectis possint? age, nunc videamus!

Inter eos, qui hanc quaestionem in dubium vocarent, eamque per se facilem et explicatam argumentorum captiosa ratione perdifficilem et lubricam redderent, primum omnino locum tenet *Christianus Thomasius* (*) cuius *de arrbis emtionum Disputatio* satis nota est. Argumentum

(*) Habuit quidem, qui erroneam hanc sententiam iam antea amplexi essent, nisi ipse restaret §. 55, multum tamen vitioris ipsi addidit, effecitque, ut multi

gumenta igitur, quibus in ea firmare studuit opinionem suam, hic
examinare animus est. Duplici autem is, in cit. Disp. §. 37. ratione
contractum emtionis venditionis imperfectum perhibet: vel ex
natura negotii et moribus gentium, vel ex conventionione partium: si
illud spectetur, adesse pactum de emendo: sin hoc, conditionatam
esse emtionem asserit. Et horum alterutri generi arrham accedere
posse negat. En ipsa eius verba! non priori: stultus enim esset, qui
in pacto de vendendo arrhas daret. Nam cui usui? ut aliter pactum ser-
vet? quod nullum effectum (civilem) habet. Ut arrhas frustra per-
dat et sine causa? quod insani hominis est. Non posteriori: dum enim
partes e. g. ideo volum emtionem in scriptis celebrari, ut antea non
obligentur, ridiculum esset, si velint arrhas dare, ut obligentur. Haec
Thomasio forsan largiter, siquidem nuda pacta olim neminem obli-
gaverunt, si ea esset arrharum natura, ut aliter accedere emtionibus
nequeant, nisi in illarum securitatem et tanquam argumentum certis-
simum; quanquam tunc etiam nostra essent, quae ipsi contradice-
rem (**). Verum enim vero cum arrhae non semper in securitatem
con-

eum sequerentur. Neque hodie desunt, qui ex eius erroribus, auctoritate
ipsius abrepti caeci torique pendunt.

(**) Fingamus enim, quod tamen nunquam concederemus, arrhas nunquam ac-
cedere posse conventioni, nisi in ipsius securitatem; quid quaeso et tunc impe-
dier, quominus accedant emtionibus imperfectis? Verum quidem est neminem
obligatum fuisse eiusmodi emtione, neque quemquam iure romano antiquo re-
neri ex nudo pacto; sed non video quibus rationibus ductus Thomastius insanire
puzet illum, qui conventioni, ex qua nulla ipsi oritur obligatio, aliunde afferri
obligationem pariter: vellem hoc demonstrasset! iam enim quaero quare sti-
pulario sit inventa? Nam, ut negotiis accederet, quibus iam antea obstric-
tione teneremur? profecto si ita se res haberet, ea nihil inutilius inquam Romani



contractus adhibeantur, sed etiam hoc dentur accipianturque consilio, ne quis impune promissa servare detrectet, quod quidem ipse non potuit non confiteri, et a me monitum est, totum ejus argumentum corrui; et manifestum est, tantum abesse ut sive datio sive acceptatio arrharum paciscentibus eius, quod pacti sunt, praestandi necessitatem afferat, ut potius hoc tantum efficiat, ne quis datam fidem facile fallat. Quare ego quidem non stultum sed providum potius eum dixerim, qui et emtioni imperfectae arrham adhibet. Namque illo saltem tempore, quo quis sanae mentis de emendo vel vendendo paciscitur, arrhasque dat vel accipit, se suis commodis servire putat, lubenterque arrhas dat vel accipit, propterea quod ita semper lucratur, sive altera pars promissis stet, sive mutata voluntate arrham, quam dedit, perdat, sive acceptae duplum restituat. *L. 17. C. de fid. instr.*

Atque hoc quidem unicum argumentum est, quo *Thomasius*, ut omnem arrharum usum ad eos emtionum contractus perfectos restringeret, usus est; quod quam leve invalidumque sit, explicasse mihi videor. Nunc, quaenam sententia legum auctoritate confirmetur, videamus.

Primum huc pertinet *pr. I. de emt. et vend.* ibi sub initium statim *Tribonianus*: *emtio*, inquit, *et venditio contrahitur, simulatque de pretio convenerit: quamvis nondum pretium numeratum sit, ac ne arrha quidem data fuerit. Nam quod arrhae nomine datur argumen-*

tum
excogitavissent. Ergo eo potissimum consilio inventam stipulationem esse, dicendum est, ut negotiis accederet iure civili non obligatorius, et quidem, ut negotium illud propter ipsius accessionem fieret obligatorium.



rum est emtionis contractae. Si Tribonianus nihil amplius dixisset, omnino *Thomasius* ad corroborandam suam sententiam eo loco uti potuisset: verum ille in iis, quae sequuntur, ea tantum intelligenda de emtionibus sine scriptura consistentibus esse, indicat.

Loquitur igitur Tribonianus c. l. de emtione iam consistente, i. e. perfecta, et quidem sine accessione scripturae, tali, quoniam, si haec accessit, ea probat *L. 4. D. de pignor. L. 4. D. et L. 17. C. de fid. inst.* neque opus est, ut ab arrha ulterius argumentum ducatur. Inde vero tenetur, arrham emtione nondum consistente, adeoque nondum perfecta, essentialibus nondum satis determinatis, neque scriptura, in quam redigi contractum, conventum est, adhuc omnibus numeris absoluta, non quidem tanquam argumentum, verum tamen sub diverso nomine et praedicatione addi. Atque haec quidem nisi Triboniani fuisset sententia, cur quaeso adhiberi hanc arrhae descriptionem in solis emtionibus perfectis et sine scriptis consistentibus, voluerit? Aliena prorsus atque inanis profecto eiusmodi fuisset limitatio, quoniam, si imperfectis emtionibus plane non accedere possent arrhae, has iis neque tanquam argumentum debere accedere, per se satis clarum foret.

Hanc vero argumentationis meae rationem non solum, sed acutissimis suis principibus niti, idem Tribonianus sine huius pr. docet: donec enim, inquit, aliquid deest ex his (si scilicet contractus nondum perfectus, vel scriptura, in quam redigendus erat, nondum consummata est) poenitentiae locus est, et potest emptor vel venditor sine poena recedere ab emtione et venditione. (Iam vero limitatur atque accuratius definitur positio haec). Ita tamen impune eis recedere concessimus (a venditione imperfecta, de qua modo dixit) nisi iam arrharum



rum nomine aliquid fuerit datum, hoc enim subsécuto: sive in scriptis sive sine scriptis venditio celebrata est: is qui recusat adimplere contractum (i. e. perficere) siquidem est emptor, perdit quod dedit, si vero venditor duplum restituere compellitur, licet super arrhis nihil expressum est. Quo clariora, quo magis perspicua haec verba sunt, eo magis admiror, eadem verba Thomasmum in rem suam vertere, et ad tabiliendam suam hypothesein trahere ausum esse. Aut enim non vidit, aut videre potius noluit, in priori propositione de venditione imperfecta Triboniano sermonem esse, a qua contrahentes immane recedere dicit; et in posteriori demum propositione accuratius priorem definiri. Arripit potius verba: *venditio celebrata* et torquet ea mirum in modum, ita explicans, ac si perficeret venditionem et celebrare venditionem idem valeat. Neque meminit duplicem esse venditionem, et propter ea, quae antecesserunt, hunc locum non de perfecta sed de imperfecta venditione debere intelligi. Quid enim quaeso obstat, quo minus et pactum de vendendo et quaelibet alia imperfecta venditio in scriptis celebrari possit? haud igitur longius me occupabit haec obiectio, praecipue cum eandem huius loci explicationem in omnibus fere in hocce pr. I. de emt. et vend. commentariis invenies. *Vid. Voetii Commentar. ad I. de emt. et vend. n. 10. Bachovium ad Treutler. Vol. I. Disp. 28. Thef. 8.*

Ad corroboranda et magis firmanda ea, quae supra de pr. I. de emt. et vend. de arrhis emtionum imperfectarum disputavi, accedit L. 17. C. de fid. Instr. in cuius fine constitutio est quaedam Iustiniani, quae, quoniam cum Thomasmii de arrhis opinione pugnat, inprimis eum vexavit. En ipsa verba constitutionis! *Illud etiam adiicientes, ut in posterum, si quae arrhae super facienda emtione cuiuscunque rei datae sunt, sive in scriptis sive sine scriptis: licet non sit specialiter adiectum quid*



quid super iisdem arrhis non procedente contr. actu fieri oporteat: tamen et qui vendere pollicitus est, venditionem recusans in duplum eas reddere cogatur, et qui emere pactus est ab emtione recedens, datis a se arrhis cadat, reperitione earum deneganda. In tanta rerum perspicuitate vix haberem, quod adderem, nisi nimia, quae in *Thomasio* fuit, ingenii fertilitas, satis magnam mihi dicendi copiam suppeditaret. Dixerat enim §. 37. et 38. nisi insanum et furore abreptum, neminem fore, qui affirmet, arrhas emtionibus quoque imperfectis accedere: quam quidem ob causam, ut a miseris hisce Iustinianum scilicet et artis suae magistrum Tribonianum, quippe religionis pietate commotus, secerneret, ad regulas hermeneutices, invita *Minerva*, confugiens, in c. l. de emtione perfecta sermonem esse statuit.

Primum eius argumentum §. 50. prolatum inde ductum est, quod sine hujus constitutionis Imperator *recedere ab emtione*, dixisset: ex quo colligi posse putat, si quis cum arrhae iactura ab emtione recedere possit, emtionem adesse; iam vero, quum pactum de emendo, et emtio in scripturam redigenda, scriptura omnibus numeris nondum absoluta, vera emtio esse nequeat, tandem illo loco de emtione vera et perfecta sermonem esse debere, concludit. Concedo *Thomasio* emtionem, si quis recedere ab ea velit, adesse debere: largior quoque, pactum de emendo non esse perfectam et veram emtionem; sed nego id, quod inde colligit, nimirum c. l. de perfecta emtione sermonem esse. Num forte oblitus erat, emtiones dividi in perfectas et imperfectas, quarum toties totiesque ipse mentionem fecit? an fortasse ideo de emtionibus perfectis intelligendum locum esse



esse putat, quod Imperator tantum dixerit: *recedere ab emtione*, et omiserit: *imperfecta*? At vero in superioribus iam *emtioneis faciendae* mentio facta erat; ut adeo repetitione facile supersedere posset. Deinde vero pari ratione nostrae sententiae favere videtur ea argumentandi ratio. Nam si *Thomasius* ex eo, quod *imperfecti* notio a legislatore omissa est, de emtione perfecta ibi sermonem esse, concludere, sibi licere putat; quis nos prohibebit, quominus eodem iure ita calculos nostros subducamus: quaestionem esse de emtione imperfecta, propterea quod legislator non addiderit adiectivum: *perfecta*. Quid his respondebit? num hoc? vulgarem dicendi rationem Iustinianum violasse, quoniam omissa imperfectionis voca, tantum *ab emtione recedere*, dixerit? Sed recordetur verba Triboniani in *pr. cit. de emt. et vend.* ibi: donec aliquis deest ex his et poenitentiae locus est, et potest emtor et venditor sine poena *recedere ab emtione*. Quod si vero darem *Thomasio*, contra puritatem linguae illud: *recedere ab emtione*, scilicet imperfecta, dictum esse, nonne ipse §. 51. probare studuit, magna, tempore Iustiniani, impuritate latinum sermonem laborasse? corrui igitur argumentum hocce, sive ad principia, quibus nititur respicias, sive attendas connectionem ipsius legis, in qua a capite ad calcem usque auctorem emtio imperfecta occupavit. Nam sub initium statim de obligatione, ex eiusmodi contractu descendente, sollicitus legislator, duos fingit eventus; altero, quo artha non acceperit emtioni, neminem ante impletum vel absolutum contractum sibi aliquod ius ex illo vindicare posse dicit: neque cuiquam dicere licere, pretio quidem statuto, necessitatem venditori imponi vel contractus venditionis perficiendi,

vel



vel eius, quod emtoris interest, ei persolvendi: altero autem, quo arrha contractui imperfecto accesserit, quemlibet quidem recedere posse, sed arrhae iacturam pati, statuit. Sed haec haec hactenus.

Reliqua, quae pro tuenda sua opinione profert, eo redeunt, ut, quem sensum c.l. Imperator vocibus: emendi, vendendi, emtionis et venditionis, subiecisse videatur, ostendat. In quo quidem miraberis certe, quo iure §. 52. *Thomasius emere rem interpretari iubeat: pretium rei solvere; et vendere rem: tradere rem.* Sed stat utique pro ratione voluntas! et sufficit, *Thomasium* nullo alio modo legem hanc conciliare cum opinione sua potuisse! Si itaque *de facienda emtione* loquitur Iustinianus, putat §. 48. noster dissentiens, illum de consummatione emtionis locutum fuisse; et si Imperator pergit: *vendere pollicitum*, venditionem recusantem arrhas duplicatas reddere; et *emere pactum* ab emtione recedentem datam arrham perdere debere, haec ita explicat *Thomasius*: si quis *tradere* pollicitus est, et non tradit etc. et si quis *pretium determinatum* solvere pactus est, et non solvit etc. Profecto ludere potius, quam seria tractare mihi videretur *Thomasius*, nisi haec omnia ad corroborandam suam sententiam valere, sibi persuasisset. Quis enim ante hunc unquam dixit, aut ab aliquo affirmari audivit, Romanos *pactos esse* pretium determinatum solvere, aut *pollicitos esse* res tradere, quae contractum perfectum praesupponunt.

Reliqua omnia tacerem, nisi has perverfas hypotheses, ex legibus desumptis exemplis, illustrandas, sibi suscepisset. Haud enim
B 2
praeter



praeter morem Iustinianum, dictiones vendendi et tradendi: nec non emendi et pretium solvendi, eundem sensum habere, contendit propterea, quod eadem ratione *Ulpianus in L. II. §. 6. D. de act. emt.* emere, pro, pretium solvere, et *Paulus in L. 47. pr. eod. pro, tradere, vendere dixerint.* Sed audiamus ipsa verba! *Si annulus, inquit Ulpianus, datus sit arrhae nomine, et secuta EMTIONE, pretioque numerato, et tradita re, annulus non reddatur etc.* et *Paulus in c. l. 47. pr. ibid. Lucius Ticius, ait, accepta pecunia ad materias VENDENDAS sub poena certa, ita ut, si non integras praestaverit intra statuta tempora, poena conveniatur, partim datis materiis decessit etc.* Quo saepius has leges mecum reputavi, eo certius persuasum habeo, tela in nos conversa ipsum auctorem vulnerare. Nam utraque lex agit de arrhis, emtionibus et venditionibus imperfectis accedentibus; ex quo efficitur, utrumque verbum, emere et vendere, non de consummatione contractus intelligendum esse, sed tantum de ipsius perfectione. Ne tamen quis me neglectae probationis incuset, iam, quibus permotus illud dixerim, rationes adferam. Si verum esset, *cit. L. II. §. 6. D. de act. emt.* emtionem et pretii solutionem idem significare, ita interpretandus locus esset: *Si annulus arrhae nomine datus sit, et pretii solutione secuta, et pretio soluto, et re tradita etc.* Ita si locutus fuisset Ulpianus, profecto nihil, quod magis absurdum esset, proferre potuisset; cum vero ipso *Thomasio* teste §. 50. ob absurdam sententiam recedendum sit a proprietate verborum; potiori certe iure affirmare posse mihi videor, hic proprietati verborum inhaerendum esse, quoniam ex iis sanus elici sensus potest: ex iisdem vero, improprie acceptis, prorsus nequit.

Quare

Quare ea lex ita interpretanda est: si annulus arrhae nomine accesserit, et emtione perfecta et consummata non reddatur etc. Patet praeterea ex his, quod Ulpianus in c. l. casum descripserit, si imperfectae emtioni accesserit arrha: dicit enim, quod arrha reddi debeat, emtione secuta; sin autem in hunc eventum reddi debet, sequitur antea arrham datam esse, quoniam alias emtio sequi nequit: quod si vero arrha ante emtione[m] data est, et tamen sine omni sine atque ratione dari nequit, porro intelligitur aliquid adfuisse, propter quod dari, et emtio sequi potuit. Habes itaque pactum de emendo, seu emtione[m] imperfectam.

Eiusdem vero farinae est laudata *L. 47. pr. D. de act. emr. ibi* Paulus sequentem exhibet speciem facti: *L. T.* ita contraxerat, ut statuto tempore vel materias integras venderet, vel conventionalem poenam lueret, et, ut alterutrum fieri debere indicaret, accepit pecuniam *i. e.* arrham. Egregie itaque deceptus est *Thomasius*, si putavit, post perfectum contractum *L. T.* accepisse pecuniam. Nam illa emtio dici non potest perfecta, quam sub certo eventu et sub conditione *L. 7. pr. D. de contrah. emr.* eaque potestativa, inquit, nisi scilicet poenam solvere mallet. Inhaesit tamen iterum *Thomasius* verbis, et accepta pecunia putat Paulum nihil aliud intelligere, quam ipsum pretium emtionis; quod si ita esset, et Caius ex parte sua iam consummasset emtione[m], omnino etiam ex parte *L. T.* contractum fuisse perfectum, dicendum foret. Sed mente captus fuisset Caius, si pretium exsolvisset in antecedentem, cum obligatio *L. T.* alternativa fuerit. Pecuniae vox itaque hic confundenda non est cum ipso pretio emtionis. Illa enim est generalis, et omnes in se comprehendit res, quae possessionem in se recipiunt *L. 178. de V. S.* et quae in bonis esse dicuntur *L. 222. ibid.* Pretium vero consistit in determina-



ta quantitate pecuniae numeratae, quae illi opponitur. Parum itaque definite voci pretii, illam Paulus substituisset pecuniae; neque in hanc culpam Paulus incidit, sed potius interpretis ipsius *Thomafius*. Verumtamen cum L. T. pecuniam accepisse in dato casu dicatur, illaque pecunia ipsum pretium denotare non possit, neque frustra L. T. illam accepisse quis contendet, necessario sequitur, accepisse eam arrhae nomine; et haec interpretatio non solum ipsi rei, sed et verbis, quibus Paulus utitur, maxime consentanea est. Nam ICris pecuniam saepe arrhae nomine venire, exemplum habes in L. ult. de *lege commissor*. Eandem vero vocem pecuniae, simpliciter pro pretio usquam usurpari, nisi me omnia fallunt, probari profus nequit.

Vindicata itaque et hac lege ab erronea interpretatione *Thomafii*, omnis eius evanescit argumentatio. Namque cum neque Ulpianum in l. II. §. 6. neque Paulum in l. 47. pr. de *act. emt.* vocibus vendendi et emendi pro traditione et pretii solutione, adeoque non de ipso consummando contractu, sed tantum de perficiendo usos esse, ostendi, neque ipse *Thomafius* alia exempla proferre potuit; intelligitur profecto, ratione omni, auctoritate, et iure in tali L. 17. C. de *fid. instrument.* emendatione eum carere atque destitui; quin, qui ita emendaret leges, iste obscuras eas reddere atque incertas, corrumpere, evertere potius dicendus est.

Acquiescerem nunc, nisi monendum esset, quod, etiam si darem, in dictis legibus ICtos Ulpianum et Paulum voces emendi et vendendi pro consummatione ipsa contractus posuisse, causa nihilominus caderet *Thomafius*; quis enim non rideat vehementer eiusmodi argumentationem: Ulpianus et Paulus verbis emendi et vendendi aliquando



quando utuntur in sensu improprio, ergo et Iustinianus in l. 17. C. de fid. instrument. iisdem improprie usus est; quam tamen suam philosophandi rationem ut defenderet *Thomasius*; pergit, ideo improprio vocis significatui locum esse, quod ita verus sensus evincatur, ex proprietate autem verborum falsus atque ineptus sensus profluat, quasi nimirum arrhae emtionibus imperfectis accedere possint. Habes itaque novum exemplum de ingenuitate animi, qua in disputando utitur *Thomasius*! Mota erat quaestio, an cit. lex loquatur de arrhis emtionum imperfectarum, nec ne? amplectitur negativam sententiam: sed loco probationis praesupponit thema probandum, tanquam ex animi sui sententia decisum, et inde concludit, allegatam legem scilicet 17. C. de fid. instrument. de arrhis emtionum perfectarum agere. At quis est, quin, petitionis principii culpa teneri eum, videat?

Plura his argumenta pro tuenda sua opinione in medium afferre noluit; quibus nunc, nisi nimium mihi tribuere videor, castigatis refutatisque nihil certe obstat, quo minus arrhas imperfectis etiam emtionibus accedere posse statuam. Namque hanc sententiam integra legum auctoritate niti demonstravi, eandemque ipso exercitio corroborari unusquisque, ad negotia hominum paulo attentior, facile intelliget. Cum denique, uti ipsum dissentientem nostrum confiteri oportuit, arrhae ob duplicem argumenti scilicet et poenitentiae causam dentur, neminem contrariam sententiam amplecti, arrharumque doctrinam ad solas perfectas emtiones restringere posse, nisi sciens lubensque ad quaevis absurda inclinare, ipsumque legum systema in peius formare malit, apparet; nam perfecto contractu poenitentiae locus non est, neque invita altera parte, quis cum arrhae iactura recedere potest. Obligatio enim, quae ex perfecto emtionis contractu oritur,



7
D
18

tam firma est, ut ne dupli quidem oblatione elidi *L. 6. C. de rescind. vend.* nec principis rescripto rescindi *L. 3. C. ibid.* sed solummodo confirmatione vel mutuo consensu extingui possit. Vidit haec quidem *Thomasius* doctrinae suae obstacula, sed cum non erubuit, defendere falsum principium; nemini mirum videri debet, eum etiam, ut fieri solet, ad urgenda ejus consecraria promptum paratumque fuisse. At cum sine omni legum auctoritate rem suam egit, neque *BACHOVII* dissentientis dicta (***) ullo modo infregit, nec nos ingenii ejus dotes longius morabuntur.

(***) Hic recte ad *Treutlerum* Vol. I. Disp. 28. vbesi 8. vitium hujus sententiae indicat ita ratiocinando: Quo casu datis arrbis cum damno earum recedere licet, eodem casu non datis impune recedere licet. Atqui ex sententia *Treutleri*, ait, arrbis datis etiam a perfecto contractu cum damno earum licet recedere; Ergo a perfecto contractu non datis arrbis impune recedere licet.




Kd 600

ULB Halle

3

007 653 980





Inches
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.



DOLPHI LIMMERI
 I. V. D.
 TATIO IVRIDICA
 DE
 EMTIONVM
 FECTARVM
 MASII DISSERTATIONI
 HIS EMTIONVM.

1085



Handwritten signature

ETTINGAE
 OSSIEGELIVM CIOIOCC LXVII.

